

Biogr. er. D

1549,38

RECTOR
ACADEMIÆ LIPSIENSIS

ad
exequias

MATRONÆ

*Clarissima, pro sapia splendore, pietatis & virtutis
edecumata decore præfulgentis*

ANNÆ SOPHIÆ
MOSERIÆ,

VIRI

*Perquam Reverendi, Nobilissimi, Amplissimi
& Consultissimi*

DN. JOHANNIS BORNII
in Hillmerstorff hæreditarii, Jcti celeberrimi,
Professoris P. & Decemviri meritissimi, Curiaë provin-
cialis supremæ Advocati, Fac. Juridicæ Assessoris & Canonici
Numburgensis &c. relictæ viduæ,

Cives Academicos
post III. pom. invitat.



Biogr. erud.

D. 1549, 28

Vitt. Erud. sing. Born - Bra.

RECTOR

ACADEMIAE LIPSIENSIS

ad

exemplis

MATRONE

Christinae, propria splendore, pietate & virtute
illusterrima haecore praesignata

ANNAE SOPHIAE

MOSERIAE

VIRI

Magistri Reverendi, Theologiae, Philosophiae
& Consistorii

DR. JOHANNIS BORNI

in Scholae hactenus, Juri celeberrimi,
Magistri P. & Decemviri meriti, Cuius pro-
curatoris Advocati, Fac. Juridicae, Honoris & Canonici
Nuptiarum delectatae viduae

Cives Academicos

post III. non. Invit.

65,22



VT mors piorum preciosa est in oculis DOMINI: Sic animas ipsorum à corporibus separatas, velut in theca gemmaria preciosa *κευμήλια*, recondit. Quorsum respiciens Abigail animam *1. Sam. 25.* Davidis in fasciculo viventium colligari dicit. *05 0311.3* Quæ sexus sœmininus in ejusmodi fasciculis, aut scatulis reponit, in deliciis habet & magni facit: Sic animas piorum, quas corporibus suis egressas tam providè custodit & asservat, DEO curæ cordiq; esse, quis ibit inficias? Unde Judæi defunctis suis hanc formulâ precandi parentant: Sit anima ejus in fasciculo viventium. Fasciculus hic, vel theca gemmaria est manus DEI viventis, in quam Psalmographus regius *Psal. 31.* & hunc imitatus Salvator meritissimus, cum jamjam esset exhalaturus, animam suam commendat. De hac asservatione liber Sapientiæ dicit, quòd animæ justorum sint in manu DEI, *Sap. 3.* nec tangat eas tormentum. Johannes etiam Theologus sub altari CHRISTO, tanquam tutissimo scuto & asylo extra omnem telorum jactum animas Martyrum vestibus albis indutas, tanquam gloriæ majoris Candidatas, repositas vidit. Huic colligationi & fideli custodiæ projectio, vel abjectio ab eadem Abigaële opponitur, cum animas impiorum, ceu fundà, longius à conspectu mitti, dicit. Quæ sic projiciuntur, nullius pili, vel hili à nobis æstimantur: Pari modo, quos DEUS à facie sua projicit, parùm curat, imo aversatur & odio habet. Honorantes me honorabo, divina Majestas inquit, floccipendentes floccipendam. *1. Sam. 2.* In fasciculo viventium, tanquam nitidissimus unio sexus & status sui colligata fuit etiam Fœmina

Luca 10.

Clarissima, profapia splendore, pietatis & virtutis edecumata
decore præfulgens ANNA SOPHIA MOSERIA in Hill-
mersdorff / hæreditario, Viri Perquam Reverendi, Nobilissi-
mi, Amplissimi & Consultissimi Domini JOHANNIS BOR-
NII in Hillmersdorff / hæreditarii Jcti nominatissimi, Profes-
soris Publici & Decemviri meritissimi, Curia provincialis su-
premae Advocati & Facult. Juridicae Assessoris veterani, Cano-
nici Numburgensis splendidissimi relicta Vidua per beatam
analysisin *εις τ' ανώτερα καλλιω* translata. Quæ, cum unicum istud
necessarium pensi habens ad CHRISTI pedes cum Maria ne-
xu indivulso sedisset, & multis parasangis pietatis studium flu-
xis & caducis hujus mundi bonis prætulisset, id honoris à Sal-
vatore vicissim tulit, ut in fasciculo viventium & scatula gem-
maria, ceu preciosum clinodium, recondatur & ad diem glo-
rificationis uberius asservaretur. Supremis hujus cum po-
meridianis horis sit litandum, Ejusdem in hanc vitam ingres-
sum, in eadem progressum & ex eadem egressum, ut laudabi-
liter omnia se habent, volante penicillo delineabimus, & tem-
plo Mnemosynes hypotyposin succrescentibus collocabimus.
Usurâ lucis hujus Beatissima nostra frui cœpit Dresdæ anno
currentis seculi 8vo, quinto Cal. Septembris Parentibus ho-
noratissimis & in posteris adhuc florentibus, Patre nimirum
Viro Magnifico, Nobilissimo & Excellentissimo, Dno. LU-
DOVICO WILHELMO MOSERO, Serenissimorum Saxo-
niæ Ducum & Electorum CHRISTIANI II. & JOHANNIS
GEORGII I. glor. recordationis Consiliario & à latere Secre-
tario de ditionibus hisce meritissimo, Matre sui sexus & Ordi-
nis Phœnice MARIA, Viri Nobilissimi & Amplissimi Dni JO-
HANNIS NEUMEYERI, Celsissimis Saxoniam Ducibus Vina-
riensis lineæ à Secretis intimioribus filiâ. Per *Φωτισμὸν*, ut ve-
teres Baptismum salutarunt, filia lucis facta pietatis initiis à te-
neris, quod ajunt, ungviculis fuit adsuefacta. Huic funda-
men-

mento, cūm timor DOMINI Sapientiæ sit initium, virtutes
Virginales reliqvas superstruxerunt. Licet autem per obi-
tum præmaturum desideratissimæ Matris in statum orphana-
rum redacta fuerit maturiùs, oneri tamen educationis dein-
ceps succollavit Dominus Parens, qui nihil intermisit eorum,
qvibus coronis virtutibus hunc sexum & ætatem ornantibus
imponi posset. Scopum hunc ut faciliùs obtineret, præfer-
tim cūm expeditiones Electorales remoram Ipsius negotiis
Oeconomicis non rarò injicerent, τὴν ἐν ἐυλογία nostram la-
bentis seculi anno 17mo σύνοικον Sororis carissimæ Viri Nobi-
lissimi & Consultissimi Dni D. HEINRICI VOLCKMARI
Senioris, Juris-Consulti celeberrimi, Consistorii & Scabina-
tus Electoralis Assessoris, Dicasterii provincialis Supremi Ad-
vocati Ordinarii & Reipublicæ patriæ Pro-Consulis meritis-
simi b.r. Uxoris esse voluit. Ab Oeconomicis hujus, ut & aliis
virtutibus ita colorem traxit ἡ μακαρίτης, ut ad existimatio-
nem apud omnes singularem profluens à prædicto cum ho-
noris præfatione Domino Doct. JOHANNE BORNIO
ἀξυξ expeteretur. Præmissis itaqve præmittendis, piis pre-
cibus & partis utriusqve cognatorum consensu, sponsalia
pridie Non. Sept. Anno 1627. per benedictionem Ecclesiasti-
cam fuere consummata. Inter ἀντιφιλήσεως amicas conten-
tiones, qvibus etiam oculorum ictus & nictus sibi confor-
mare studuerunt, per annos 33. usqve ad initium Augusti an-
ni 1660. sortis ancipitis vices simul fuerunt experti, interca-
pedine temporis Beatissima nostra octo pignoribus lecti con-
jugalis Dn. Maritum fecit Parentem. Ex his duo masculi
& duæ fœmellæ Parentem utrumqve incursu ad immortalitatem
anteverterunt, supersitibus adhuc Viro Nobilissimo,
Amplissimo & Consultissimo Domino JACOBO BOR-
NIO, Juris utriusqve Doctore famigeratissimo, Scabinatus
Electoralis Assessore, ut & Reipublicæ patriæ Pro-Consule

benè merentissimo, & Domino HEINRICO BORNIO,
 Juris utriusq̃ve Candidato, magnæ expectationis juvene, nec
 non filiabus itidem duabus in decus & splendorem generis
 educatis, jam Fœminis florentissimis, quarum natu major
 ANNA DOROTHEA, Viro Amplissimo & Prudentissi-
 mo Domino WOLFFGANGO PEILICKIO, Sena-
 tori & Ædili de Republica patria & bono publico longè me-
 ritissimo, natu minor Viro Experientissimo & Excellentis-
 simo Domino PAULO AMMANO, Phil. & Medicinæ
 Doctore nominatissimo, Facultatis Medicæ Assessori, Ana-
 tomicæ Professori extraordinario & Academia Botanico so-
 lertissimo collaterales fuerunt additæ, Matri desideratissimæ
 non sine luctu ingenti exequias jam euntibus, & ultimum
 pietatis debitum persolventibus. Vitam ἢ ἐν ἀγίοις nostræ
 reliquam quod concernit, hîc illud Salustii, quod de laudibus
 urbis Carthaginis habet, nostrum facere possemus, præstare
 scilicet nihil, quàm parùm de eadem dicere, ne parùm di-
 cendo laudes istius obscurentur magis, quàm illustrentur. Si
 tamen pro more nonnihil hîc injiciendum, summa rerum
 fastigia secuti τὴν ἐν ἐνλογία quadantenus in choro & thoro vi-
 debimus. Cùm carnem de carne se quoq̃ve nôsset, ut ad can-
 didam illam meram, quam cœlestis vocatio nobis exhi-
 bet, expeditius pertingeret, media salutis acq̃uisionis,
 quàm applicationis non insuper habuit. Salutem nobis ac-
 quisivit μεσίτης unicus CHRISTUS JESUS, cujus meri-
 tum, veluti thesaurus ingens, in verbo & Sacramentis fide ac-
 cipiendum nobis offertur. Duæ siquidem manus in nego-
 cio salutis, porrigens & apprehendens, sibi obviant. Porri-
 gens est verbum & Sacramenta, gratiæ sigilla (ubi DEI cum
 hominibus condescensum miramur) media δολικὰ ex parte
 DEI: apprehendens est fides, medium αἰνλητικὸν ex homi-
 nis parte unicum, divinitus sic ordinatum. Ut itaq̃ve tantî
 boni

boni, CHRISTI sc. meriti, particeps fieret ἡ μακαρίτις in congregationibus sacris anscultatione, domi lectione ac meditatione verbi salvifici fidem suam per eadem media collatam nutrit, & , si forsan titubavit, usu mysteriorum crebriore, ut etiam paucis abhinc diebus factum, eandem firmavit, ad ὑπογραμμὸν à Salvatore nobis relictum vitam suam confirmavit, & , ut Christiana non titularis, sed ὄντως & reverâ talis esset, id operam dedit. Quamquam autem (quod Ipsa ἡ μακαρίτις ἀντὶ χειρὶ consignavit) de calice crucis divinitus porrecto Ipsi quoque fuerit bibendum, erecta tamen potionem hanc amaram sustinuit, & voluntati divinæ suam semper subordinavit. In thoro fidelis, οἰκὸς & ὑπανδρὸς, honore debito Domino Marito nunquam non assurgens, deprehensa fuit, domesticis exemplo pietatis præluxit, educationi suorum accuratæ studuit, & , ne quid hîc negligeret, pensi habuit, cujus etiam fructum, suorum εὐεσῶ tulit. Ut ad mortis anteambulones deveniamus, ab aliquot annis tentationibus crebris infestata fuit, hæctenus tamen in dextra pectoris parte dolores exquisitissimos sensit, adeo ut inde viribus etiam frangeretur, & , licet mediis ac remediis preciosissimis malo huic obviam iretur, nullis etiam sumptibus, laboribus, curis & vigiliis, parceretur, amissa tamen sanitas recuperari non potuit. Quare beatam analysin inter votorum fastigia posuit, & adventum Sponsi sui desiderio desideravit, utque semper ad istius exceptionem esset parata, fidei lampade instructa nunquam non in procinctu stetit. Quare cum Domino Confessionario, ut & circumstantibus preces & cantilenas suas conjunxit, & non attendens, quibus cruciabatur, dolores pernox in iisdem duravit, utroque brachio fidei & caritatis dictum animæ suæ Sponsum amplexura. Quare placidâ corporis & animæ διχοτομία ex corporis ergastulo dimissa fuit, quando Calendis ipsis mensis hujus Quintilis post
fex-

sextam matutinã cum semisse, personã suã per annos 58. men-
ses 10. cum biduo decenter in his terris functa tranquillitatis
æternæ portum attigit. Non est amissa, sed præmissa usq̃ve
ad diem ἀποκατάστασις ἀπάντων colligata, post reduntionem
corporis & animæ in altiorem gloriæ gradum evehenda.
Nos templum hoc S. S. Trinitatis post III. pomeridianam,
communi Matri depositum credemus: nostros autem ut gra-
titudinem suam erga piè defunctæ Maritum & posteros de-
clarent, honoratissimos lugentes suã συμπαθεία & frequenti
comitatu funeris q̃vadantenus erigant, præsentibus jubemus.
P.P. IV. Non. Quintilis, anno M DC LXVII.

Literis HAHNIANIS.

